



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

13. A ranis homines ciuitatibus expulsi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

cùm velut de choro ad chorum identidem molestissimè coarctarent: & velut cachinnantes populum illum irriderent. Cuius quoque cruciatum maximum pepererunt. Nam ijs refertus erat fluuius, vt aqua inde non, nisi sanie ranarum vitia ta, hauriri posset, immorientibus earum plerisque, atque putrescentibus. Quin & domesticum victum foedabant, in esculentis atque poculentis nusquam non repertæ, quæ omnia conspurcabant & corrumpebant, teste Iosepho. Odoratam verò teterrimo foetore, quem exhalabant vel mortuæ ac putentes, vel viuæ, turpilimo, è quo nasccebantur, & in quem resoluebantur, plenæ, per omnia cubilia passim oberrantes. Quas tangere etiam abominabile erat, cum præsertim plurimæ earum noxiæ essent ac venenatæ, neque foedarent tantum contaminarentur tangentes, sed etiam infectarent.

XIII.

Apud Athenarum lib. 8.

Plin. lib. 8.  
nat. hist. c. 29  
Paul. Oros.  
lib. 3. c. vlt.

Fuit sanè id tum diuinæ omnipotentis miraculum, in Ægypto: sed etiam extra Ægyptum, absque miraculo, nonnunquam integræ vastatæ sunt ciuitates, populique toti per ranarum importunitatem, patrijs natiuisque sedibus exterminati. *Heraculus Lembus libro vigesimo primo historiarum narrat, in Paonia & Dardania, tantam vim ranarum è celo delapsam, vt publicas vias, prinitasque domos implerent: primis autem diebus incolas passim eas occidisse, sedibusque oclusis, aliquandiu patienter enim molestiam pertulisse. Sed cum nihil proficerent, domesticasq; supellex illis tota obregeretur, ac cum cibarijs elixas assasq; ranas offenderent, aquarum crepta commoditate; & quia conseruatis illis non erat pedem ubi ponerent, mortuarum odore ad extremum vexati patriam deseruerunt.* Plinius quoque Varronem laudat auctorem, à quo proditum sit, à ranis, quandam, in Gallia, pulsam esse ciuitatem. Quin & Paulus Orosius memorat, Cassandro, post mortem Alexandri Magni, Macedoniam tenente, Abderitas, intoleranda ranarum multitudine, patrio solo exactos, & antiquis sedibus expulsos, nouas in Macedonia sedes à Cassandro petiisse. Hæc talia indicant, à paruis non parua sæpe supplicia in homines erumpere, si, quod magnitudini deest, multitudine compensetur. Tanto etiam manifestius potentis suæ maiestatem Deus aperit, quanto, per res paruas, maiora legitur perpetravisse.

Quam-